

21 10.

1757 10^a

7

ORDINIS IVRIDICI
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

H. T.

PRO - DECANVS
ANDREAS FLORENS
RIVINV S D

POTENTISSIMI REGIS POLON. ET PRINC. ELECT
SAXON. CONSILIARIUS AVLICVS DIGESTI VETERIS
PROF. PVBL. ORDINARIUS CVRIAЕ PROVINCIALIS
CONSIST. ECCLESIAST. ET SCABINATVS
VITEMBERGENSIS ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

S

ORDINIS IARIDICI
IN VOGDENIA AUTEMERGENSE
PRO DECANUS
ANDREA FLORENS
RIVINUS D
SOTINTISSIMI REGIS SUCION ET PRINCIPALIS
SAXON CONSULARIS AVITACIS DEGENS AETERRIS
PRO PABL ORDINARIIS CARVE PROVINCIA
CONSIST. RECENSUIT ET SCUTINATAS
AUTEMERGENSIS MARCHIOR
DECATORI AVANODO



D E

INDVCIIS SOLVTIONVM PRIVATIS

OCCAS. L. XVI. f. I. D. DE COMPENSATIONIEVS

Mira ubique in PAPINIANI scriptis est vis consequentiarum, certatque ponderis subtilitas, vt nihil magis ad Mathematicorum laudem accedere videatur, si rationum acumen spectes, vti recte sentit EVERARDVS OTTO in PAPINIANO, sive de vita, studiis, scriptis, moribus et morte AEMILII PAPINIANI, Diatriba.^{a)} Exemplo nobis sit ratio, qua usus est PAPINIANVS Lib. III. quaeſtionum in l. 16. f. 1. D. de compensationibus in terminanda controuersia ibidem proposita: aliud est, diem obligationis non venisse, aliud

* 2 huma-

a) Cap. X. §. 9. p. 203, quo in genere, iudice GREGORIO MA
TANSI Lib. V. epist. 5. nihil praestantius editum est.

humanitatis gratia tempus indulgeri solutionis. Scilicet quaestio erat, vtrum in allato casu adsit debitum purum, quod confessum peti et compensari potest, *I. 41. §. 1. l. 118. f. 1. D. de V. O. et I. 213. pr. D. de V. S.* an in diem, quod compensari nequit, antequam dies solutionis venit, *I. 7. pr. D. de compensat.* Negat ICtus, dici posse debitum in diem, cuius dies iam cessit ac venit, licet debitori post rem iudicatam, humanitatis gratia tempus indulgeatur solutionis, hincque merito in compensationem venire statuit, quo bonum et aequum tuerit. Solitum enim fuit post condemnationem ad conficiendam pecuniam reis concedere tempus, cuius meminit **VLPIANVS** *I. 21. D. de iudicis et I. 2. D. de re iudic.* Qui pro tribunal cognoscit, non semper tempus iudicati feruat, sed nonnunquam arctat, nonnunquam prorogat, pro causae qualitate et quantitate, vel personarum obsequio, vel contumacia; Et **CALLISTRATVS** *I. 31. D. eod.* debtoribus, inquit, perentibus non tantum dies ad solutionem dandi sunt, sed et prorandi, si res exigat. Iure XII. Tabb. erant 30 dies iusti, referente **AVL. GELLIO,**^{a)} quod tempus ideo legitimum dicitur in *I. 4. f. 5. D. dere iudic.* et in *I. 1. Cod. de usur. rei iudic.* atque iusti vocantur dies, ad exemplum eorum, qui publice iusti dicebantur, quando nimirum in tota vrbe iuris erant feriae.^{b)} Iure Codicis est quatuor mensium *I. 2. Cod. eodem* Certe illud aequissimum **PAPINIANI** effatum in foris nostris obtinet,

a) Noct. Attic. Lib. 15. Cap. 13.

b) GRONOVIVS in notis ad d. I. Gellii.

tinet, cum et hodie a lege, iudice et creditoribus inducione
solutionum concedantur debitoribus. Etenim nemo est, qui
nesciat, R.O.P.S. ad Tit. XXXIX. §. 5. post rem iudicataam 14.
dies, et interdum longius tempus in Appendix §. 6. immo,
Mandato Regio contra decollatores, wieder die Banquerouiers d. d.
17. Ian. 1724. §. 4. debitori, qui ad flesibile adiutorium et misera-
bilis auxilium cessionis bonorum confugit, aduersus credito-
res etiam cambiales, nisi carceri iam antea fuerit mancipatus,
R.O.P.S. ad Tit. LII. §. 2. iudicis decreto, dilationem scilicet
1. 2. et 3 mensium, ne per id tempus a creditoribus inquietentur,
concedi. ¹⁰ Immo incognitum non est, in multis ordinationibus
cambialibus in transactis cambiis, acceptanti dies induciarum
dari, quae variis insigniuntur denominationibus, e. g. Respit-
Respect-vel Discretions-Tage, nec non Nach-vel Ehren-
Tage. ¹¹ Et quam praecipua officii iudicis pars sit, summatim
ita ius reddere, ut auctoritatem dignitatis ingenio suo augeat.
l. 19. §. 1. D. de Offic. Praef. ¹² permittente lege, ius strictum
aequitate temperare, et creditorem pro rerum et temporis cir-
cumstantiis compellere potest et deberet, ut exactionem debiti
per aliquod tempus differat l. 21. D. de reb. credit. ¹³ Quia
vero

* 3

a) de quibus vide diff. IO. CHRISTOPH. FRANCKII et SIEGEL
in Introd. ad Ius Camb. vniuers. Part. II. Cap. IV. §. 23. seqq.

b) vid. GOTTFRIDI MASCOVII elegantem epist. de ingenio Iudi-
cis, occas. l. 9. §. 2. D. de offic. proc. et l. 19. §. 1. D. de offic. Praef.

c) AVG. A LEYSER Med. ad Pand. Spec. XII. m. 4.



vero teste CAIO in l. 3. D. *fam. exerc.* saepe et solutio et exac-
 tio partium non minima incommoda habet, praclare ait
 VLPIANVS in l. 2. §. 7. *D. de iudiciis* in omnibus, in quibus
 protelatur admonitio, hoc procedere sine temporali damno
 creditorum oportet. Quo in loco *protelare*, dubio procul pro
 differre, stylo VLPIANI, iuncta l. 4. pr. *D. de damno infecto* accipi-
 tur.^{a)} A creditoribus autem indulgentur induciae solutio-
 num, vel per paustum, vel per ultimam voluntatem: nam
 heres damnari potest, ne ad certum tempus creditum perat a
 debitore §. 13. *Inst. de legar.* et l. 8. §. 1. *D. de liberat. leg.* In
 primis autem humanitas efflagitat, ut creditores non semper
 debita cum rigore extorqueant, sed potius debtoribus, qui
 citra suam culpam, incendio, aut aliquo casu tristiore aliena
 cum suis perdiderunt, ut verbis utar SENECAE,^{b)} concedant in-
 ducias solutionum, ut interim quasi respirent, et ne bonis ce-
 dere cogantur; l. f. *Cod. qui bon. ced. cog.* si nempe id sine cre-
 ditorum incommodo fieri possit, et ipsi non indigeant pecunia.
 Vnde fit, quod saepius chirographo inseratur clausula, debito-
 rem reddere debere pecuniam, quandocunque creditor ea opus
 habeat: *wenn er es benoetbiger.* Quae verba tamen pro condi-
 tione non sunt accipienda, multoque minus hoc indicant, ut
 si creditor viuis debitum non exigat, heredes eius id petere non
 possint. Magis est, ut existimeamus iisdem modo dilationem
 solu-
 -ib[il] o[ste]ri ab illis m[anu]is r[ec]ordat[ur] invenimus
 a) CORN. VAN BYNKERSH. *Lib. VIII. Obs. 19.*
 b) *Lib. VII. Cap. 15. de benef.*

❀ ❀ ❀

solutionis debiti puri, cuius creditor non acerbum se exactorem, sed moderatum et cum instantia humanum praebuit, l. 33. pr. D. de Vsur. contineri, ceu pron. *Ordo noster mens. Iun. a. c.* Ex quibus porro perspicuum est, prorogationes solutionum vel a iudice, vel a creditoribus, moratoria autem a Principe impetrari, nec non dilations, seu inducias solutionum a quibusdam creditoribus concessas, ceteris non praecidicare, nec eosdem obligare, nisi maior pars creditorum, qui, si in cumulo debiti in aequales non ex personarum numero, sed ex rei debitae quantitate aestimantur, l. 8. D. de pac*t.* de concedendis debitori induciis consentiat; quo casu minor pars dissentiens ex humaniori sententia, iudicis decreto, ad id adigi potest l. 7. §. 19. D. eodem et l. fin. Cod. qui bon. ced. cog. Et hoc iure etiam in Sax. Elect. vtimur, dum omnes creditores, immo cambiales, quod olim secus erat, ^{a)} si modo hypothecarios, et eos, qui his adhuc potiori iure gaudent, excipias, ex eiusmodi pacto maioris partis chirographariorum obligantur ^{b)} rite obseruatis tamen iis, quae in dict. *Mand. Reg. contra decoctores, wieder die Banquer.* §. 16. sunt praescripta. Ceterum in hoc induciae solutionum priuatae cum moratoriis a Principe impetratis conueniunt, vt meram dilationem contineant, nec praefestationem usurarum principalis pecuniae

a) B. PAREN ad O.P.S. Tit. XLI. En. 14.

b) Decis. Nov. XXVI. de Anno 1746. CARPZ. PART. II. Conf. XXII. def. 27. seq.



pecuniae mediū temporis, nisi si quid nominatū conuenit,
sistant l. 24. D. de appell. et l. fin. D. de re iudic.

Haec mihi in mentem venerunt, cum legerem elegantem
et vtilitate plenum libellum *de rescriptis moratoriis cursum usu-
rarum non sistentibus*, quem proxime, Praeside *Viro Illustr.*
argue Excell. ERNESTO MARTINO CHLADENIO D.
Institutionum Professore Publico Ordinario, Curiae Provincialis
Scabinatus et Facultatis Iuridicae itemque Iudicij Provincialis
*in Marchionatu Inferioris Lusatiae Assessore pro Licentia sum-
mos in vtroque iure honores capessendi ad disputandum pro-
ponet CANDIDATVS Clarissimus Politissimusque*

IOANNES CHRISTIANVS GOTTHELEFF ADAMI.
LVCAVIA LVSATVS

qui laudabile vitae suae curriculum ipse his verbis delineauit:

Ego, IOANNES CHRISTIANVS GOTTHELEFF ADAMI,
natus sum Lucauiae, quae princeps, in Lusatia inferiori, ciui-
tas est, A. P. C. N. c 1313 CC XXXIII. die XXII. mensis
Iunii. Patrem, dum viueret, optimum veneratus sum M. IOAN-
NEM CHRISTIANVM ADAMI, Ecclesiae Lucauienſis Pastorem
Primarium, Lycei Inspectorem, et Ministerii ibidem Seniorem.
Matrem vera carissimam indulgentissimamque, adbuc supersti-
tem

27

rem, omni, qua par est, filiali obseruantia et cultu prosequi, sum-
 mun mibi concessit Numen, IVLIANAM SOPHIAM, ex stirpe
 CHRISTIANI IVLII COCCII, Ecclesiae quondam Luccauensis
 Archidiaconi meritissimi, ortam. Oprimi isti parentes, omnem
 adbibuerunt curam, ut, sacro fonte ablutus, et pietatis et opti-
 marum artium praeceptis instruerer. Quem in finem, praece-
 ptoribus, patro de Lyceo optime meritis, iam ab ineunte aera,
 me tradiderunt erudiendum. Prima religionis salutaris nostrae
 et scientiarum fundamenta ieci, industria et manuductione SCHV-
 WARTHI, Auditoris, SCHWEDERI, Baccalaurei, nunc inter-
 diuos, et M. MÜLLERI, Cantoris. Praesertim vero mibi gra-
 tulator, ingenuas artes aliasque ad humanitatem facientes scien-
 cias ob ore Praestantissimorum Virorum, M. IOAN. DAVID FEL-
 LERI t. t. Lycei Rectoris, fama perspicui, nunc vero Ecclesiae
 Martisburgensis Diaconi fidelissimi, nec non et M. DRESIGII,
 t. t. Conrectoris, iam Lycei, quod Lubbenae floret, Rectoris cele-
 berrimi, et tandem M. IOAN. CHRISTOPH. MÜLLERI, Lycei Con-
 rectoris meritissimi, accepisse. Quorum nomina ad cineres us-
 que colam. Iis vero artibus arque scientiis, quae literarum bu-
 maniorum studiosum decent, ab his Praeclaris Viris probe instru-

**

Eius

Etus, banc amoenissimam Musarum sedem, Vitembergam, adii,
A. O. R. c 19 19 CC LI. ibique Rectori Academiae Magnifico,
DANIEL GVILIËLMO TRILLERO, Potentiss. Polon. Reg. et
Elect. Sax. a Conf. Aul. Phil. et artis salutaris Doctori, eiusdem-
que Profess. Publ. Prim. inclytissimo, d. XXX. mens. April. fidem
nomenque meum dedi. Totus studio Theologico deditus, Celeber-
vimos huius Academiae Theologos, Viros Magn. et S. V. D.
HOFFMANNVM, D. WEICKHMANVM, et D. GEORGIVM
sedulo audiui. Quum autem omnes fere mortalium vicistudines,
et eorum conditionem mutare solent, ita et casus quidam aduer-
sus irritum fecit meum propositum. Elapso enim biennio, et
quod excurrit, diuina voluntate, omni vero expectatione citius, mors
interveniebat patris optimi, quae omnes dulcedines, quaecumque
ex prouida parentum cura in liberos redundant, in luctum mu-
tauit, meque indulgentissimo orbauit patre. Quo ex viuis erepto,
Fautores et amici, ut Themidis castra sequerer, autores suafores
que erant baud pauci. Quorum consilium et rationibus domesticis
et interno quodam impulsu ductus, tandem sequebar. Cuius conse-
quendi finis gratia, in hanc Academiam reuersus statim praelectio-
nibus iuridicis Illustris CRELLI, cui fere omnia in hoc studio, me
debere

27

debere publice profiteor, omni interfui industria. Aceperī ab eo-
dem Ius Naturae, Institutiones Iustinianaeas, Ius Criminale et
Ius publicum, tanto cum fructu, ut tanti Viri memoria omni
tempore mibi erit sancta. Nec silentio praetereundum esse cen-
seo, quanto cum emolumento Viros Praestantissimos et fama ce-
lebratissimos Illustrē RIVINVM, HANACCIVM, CHLADENIVM
et KRAVSIVM, audierim, historiam Iuris, seriem Pand-
ectarum, ius feudale et ecclesiasticum exponentes. Ultimo tan-
dem loco et a me publice laudandus et deuinctissimo animo no-
minandus est Celeberrimus D. STVRMIVS, cuius ductu, scienti-
am negotia in foro expediendi, et ius ad facta applicandi, se-
cundum processus iudicialis ordinem edocitus, cursum quem di-
cunt iuridicum absolui. Faxit summum Numen, ut idem hoc
negotium, quod bono cum omni suscepī, in sui nominis gloriam
et Reipublicae emolumendum cueniat.

Postquam igitur hac ratione CANDIDATVS noster bonis lit-
teris atque diuini humanique iuris scientiae satis diuia hac Aca-
demia operam dedit, nullam moram interponit, nec inducias
quaerit, sed studiorum suorum fiducia fretus ab Ordine nostro
decenter petiit, ut ad consueta Examina pro Candidatura, vti
vocant, admitteretur, in quibus promta ad quaestiones sibi
propo-




propositas responsione et docta textuum resolutione nostrae expectationi satisfecit, vt dignissimus iudicatus fuerit, cui summi in utroque iure honores conferantur. Quare quum in eo iam sit, vt, habita prius dissertatione Inaugurali, virtutum et diligentiae praemia accipiat, VOS RECTOR ACADEMIAE MAGNAE ILVSTRISSIME COMES, PATRES CONSCRIPTI, nec non GENEROSISSIMI ET NOBILISSIMI ACADEMIAE CIVES ET ORDINIS et meo candidatique nomine humanissime rogo, vt hoc certamen proximo die XXII. Nov. in auditorio maiori illustri ac honorifica vestra praesentia condeco-
rare non dedignemini.

P. P. Vitemb. Dom XXIV. post. Trin. c 15 15 CCLVII.



EX OFFICINA IOAN. SAM. GERDESI.




Wikenberg, Diss., 1756-58

ULB Halle
003 608 042

3



+
SL



ORDINIS IVRIDICI
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

H. T.

PRO - DECANVS
ANDREAS FLORENS
RIVINV S D

OTENTISSIMI REGIS POLON. ET PRINC. ELECT
AXON. CONSILIARIUS AVLICVS DIGESTI VETERIS
PROF. PVBL. ORDINARIUS CVRIAЕ PROVINCIALIS
CONSIST. ECCLESIAST. ET SCABINATVS
VITEMBERGENSIS ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

S